

RECTOR
ACADEMIAE VITENBERGENSIS
IO. BALTHASAR
VVERNHER

POTENTISSIMO POLONIARVM
REGI ET SAXONVM ELECTORI A CONSI
LIIS AVLAE ATQVE IVSTITIAE FACVLTA
TIS IVRIDICAE ORDINARIVS ET AN
TECESSOR PRIMARIVS ETC

CIVIBVS ACADEMICIS

S. P. D

Coll. diss. A
259, 67



Abbalistae, a Gentilibus in errores inducti, religiose coluerunt tria rerum principia, quae valde laudarunt Ethnici, *Lucem infinitam, Lucem diminutam, seu DEI Filium, & animam mundi.* Lucem infinitam unum & Bonum, DEI Filium Messiam, & Animam mundi, quam Spiritum S. vocavit Plato,

Messiam in creaturis appellarunt. Gentilium & Cabbalistarum superstitionem averfantur Christiani, qui Patrem, Filium & Spiritum S. DEVM verum & unum auguste & sancte venerantur, atque tam Filium, quam Spiritum S. *παράκλητον* appellari, vehementer laetantur. Vocem Joh XIV, 16. graecam nec a Syro, nec a Latino, nec a multis Patribus, Hieronymo speciatim & Ambrosio, translata inveniuntur. *παράκλητος*, teste Philone, est *Intercessor*: ex sententia Chrysostomi, Theophylacti, Cyrilli Hierosolymitani, Lutheri, Heinsii, Maldonati, Toleti & aliorum *Consolator*: a Tertulliano vero, Athanasio, Damasceno, Beza, Gomaro, Gerharo, & aliis vocatur *Advocatus*,

a) vid. exercit. sacras p. 251.

b) In Harmonia.

c) t. 2. Theaur. p. 26.

d) T. 2. l. 3. contra Euzom. p. 81.

e) t. 6. p. 669. edit. Froben.

& opinio Heinsii, (a) qui dixit: *Vox graeca ad advocatum nihil*, autoritate Graecorum refutatur a Gerharo b) & Stephano. c) *παράκλητος* & *consolatorem* & *advocatum* nominarunt Hilarius, Salmero, Tirinus, Cornelius Jansenius, Episcopus Gandavensis & multi alii. Omnis enim labor, quem prudens molitur *Advocatus*, solatio afficit Clientes. Hanc rem DEO esse indignam, opinati sunt *Ariani*, & reliqui *Divinitatis Filii* & *Spiritus S. inimici*. Sed bene *Basilii Magnus*, vel *Gregorius Nyssenus* d) *In eo quod dixit Dominus, ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, & ipse Paracletus noster esse ostenditur. Quare Paracleti quoque appellatio non parum ad demonstrationem majestatis Spiritus S. confert.* Librum quidem contra sermonem *Arianorum* retractavit *Augustinus*; rationibus tamen conquisitis de Spiritu S. hujusque divinitate disputat *Hipponensis Episcopus*. *Consolatorem*, dicens, e) *quod officium tanquam Personae infimae in illa Trinitate isti (Ariani) Spiritui S. deputant. DEVM dicit Apostolus, sicut in epistola ejus legimus ad Corinthios; Is, qui consolatur*



latur humiles, consolatus est nos DEVS in praesentia Titi. San-
 ctorum ergo DEVS est consolator. Ipsi quippe sunt humiles:
 unde tres viri illi in camino dicunt: Benedicite sancti & humi-
 les corde Domino. DEVS est itaque Spiritus S. qui consolatur
 humiles. Proinde isti, aut quod nolunt, fateantur, DEVM esse
 Spiritum S. aut si hoc de Patre aut de Filio dictum ab Apostolo vo-
 lunt accipi, desinant consolationis, tanquam munere proprio, se-
 parare a Patre & Filio personam Spiritus S. Nemo quidem,
 dicunt Jcti, qui causae patrocinium praestat, potest in eadem
 causa iudicis partes sustinere; & Ariani, inquit Augustinus,
 ideo Spiritum S. Filio minorem conantur ostendere, quod ille sit
 illius tanquam Iudicis advocatus. Res autem divinae non
 cadunt sub fallax coecae rationis iudicium. Spiritus S. est
 Paracletus optimus, qui nemini affert injuriam, & iudex aequis-
 simus f) qui a nullo homine potest vel verbis vel aere cor- f) Jo. 16, 8.
 rumpi. Advocatus Ecclesiae potest esse iudex atque patro-
 nus. Nam Apostoli olim constituerunt Presbyteros, ut in
 Ecclesiam & bona ecclesiastica omni cogitatione & cura in-
 cumberent, deinceps dispensatores illorum, teste Origine g) g) in Com-
 facti sunt Diaconi, & seculo IV. illa administrarunt Oeconomi. ment. in
 Concilio Chalcedonensi h) decretum est, ut omnis Ec- Matth. p. 443.
 clesia, Episcopum habens, ex proprio Clero oeconomum ha- edit. Huetii.
 beret, i) & Patribus Concilii Carthagenensis k) visum est pe- h) Can. 26.
 tere ab Imperatoribus Defensores Ecclesiarum, qui diceban- i) Vid. Cent.
 tur *ἐκδικοί*. l) Duces & Comites Ecclesiarum Defensores s. Magdeburg
 fuisse, autoritate Synodi Ticinensis probavit Dartis m) & Ro- e. 7. p. 416.
 manus Imperator est supremus Romanae Ecclesiae defensor k) Can. 78.
 atque Advocatus. Ecclesiae Christi defensor & advocatus l) Vid. Bals.
 est DEVS, verus angelorum & hominum Dominus. Nam p. 612. Pan-
 totius Ecclesiae Advocatus est Patronus omniscius, qui omni- dect. Bevereg.
 um hominum cogitationes scientia comprehendit; iudex est m) In Com-
 justissimus, qui semper gravem, justam Deoque dignam fert ment. in De-
 sententiam; est Doctor sapientissimus, & Sancti Viri, afflatu creta Gra-
 ejus concitati, nullis erroribus fuerunt obnoxii; Defensor tiani p. 158.
 denique Sanctorum est potentissimus, qui Ecclesiam Chri-
 sti virtute divina sustentat, & fines ejus ab excursionibus
 hostium tuetur. Si Athanasius esset autor libri, hoc titulo
 ornati: Testimonia ex Sacra Scriptura de naturali communione

n) T. I. Oper. p. 209. *similis essentiae inter Patrem Filium & Spiritum S.* n) Patrem quoque o) nominasset παράκλητον. Περὶ τῆ πατρὸς, αἰτ, ὁ παῦλ & λέγει: ὑπὲρ χειρῶν ἡν πρισβέουμέν, ὡς τῆ θεῶ παρακλήτωνος δι' ἡμῶν. p) Pater quidem ad se vocat homines, & omnes ad Pietatem & vitae sanctimoniam adhortatur; Ecclesiae vero non est Advocatus, ut Filius & Spiritus S. nec eodem officio funguntur Filius & Spiritus S; solus Filius est μεσίτης θεῶ καὶ ἀνθρώπων, q) quo nititur intercessio, cuius Spiritus S. est autor. Bene Ambrosius. r) *JESUS ait in Evangelio: Rogabo Patrem meum, & alium Paracletum dabit vobis &c.* Bene dixit alium, ne ipsum Filium, ipsum Spiritum S. intelligeret. Unitas enim nominis est, non Filii Spiritusque Sabelliana confusio. Itaque alius Paracletus est Filius, alius Paracletus Spiritus S. Et Basilius M. s) probat Christi verbis Trinitatem, distinctas Personas, & Naturae divinae unitatem. Grandis, inquit, improbitas est, non admittere documenta Domini, tam perspicue Personarum nobis alterationem secernentis. Nam, si abiero, inquit, rogabo Patrem, & alium vobis Paracletum mittet. Filius itaque est rogans, Pater, qui rogatur, Paracletus vero, qui mittitur. Attamen neque tu Personarum divisionem rapinae loco ad impietatem tuam stabiliendam abripito. Licet enim numero duo sint, Pater ac Filius, natura tamen divisi non sunt. &c. Spiritus S. explet quoque munus Advocati boni & prudentis & ceteris Advocatis omnibus autoritate, virtute & prudentia excellit. Advocatus, qui Clientis causam defendit in judicio, nititur legibus Principis, interpretatio vero legis authentica, dicunt Juri, inter jura Majestatis refertur. Clientes, qui in re difficili requirunt Advocati consilium, saepe praeter spem & expectationem causam suam non obtinent. Spiritus S. vero, Ecclesiae Christi advocatus dicitur recte ab Autore Ancorat. t) Consiliorum Patris interpres ac nuntius, & a Christo ipso, Spiritus Veritatis, & Autor Verbi divini, ex quo consilia divina in omnes manant homines, & qui ad ductum illorum se applicant, & omnia, quae agunt, ex consilio Spiritus S. faciunt, ea moluntur, quorum eventus ex sententia procedit. Homines omni scelere coopertos, quos justitia divina criminis condemnat, denuntiatione periculi minaciter terret, & omnes, qui Ad-
vocate

q) 1. Tim. 2, 5.

r) T. I. Oper. de Spiritu S.

l. 1. c. 13. p.

628. edit. Be-

nedict.

s) T. I. Hom.

27. p. 604.

t) T. 2. Oper.

Epiphan. p. 75.

vocato suo contumaciter non resistunt, sed rerum gestarum
poenitentiam agunt, excipit, Evangelio erigit & recreat, &
in Christum credentibus Gratiā DEI conciliat. Advocatus
praesidio legum ab inimicis defendit Clientes, quibus haut
raro Advocati oratio, innocentiae argumentis abundans, vi-
tam pacatam & placidam restituit. Impetus hostium no-
strorum reprimere & retardare non potest Jctus, nec Ro-
manae Ecclesiae Advocatus, Imperator Romanus. Hostes
enim Ecclesiae sunt Satanas, Peccatum, Mundus sceleratus,
Haeretici & omnes Tyranni, qui veros Christianos terra ma-
rique persequuntur. Satanas, ad fraudem callidus, purita-
tem mentis & integritatem vitae, quam beneficio DEI primi
habebant Parentes, hominibus eripuit & abstulit; Peccatum
a primis Parentibus propagatum, novae corruptionis multo-
rumque scelerum fuit causa, & turbulentis erroribus homi-
num animos implicuit. Jussu Tyrannorum, qui noluerunt
pati Christi Ecclesiam manere longius, Christiani summo
cruciatu & supplicio perierunt, & Haeretici, infensimi ve-
rae Ecclesiae inimici, semper veris Doctoribus contumeliose
maledixerunt, Veritatem divinam, speciatim Evangelium ver-
bis oppugnarunt, & alios homines illis, qui capti sunt, erro-
ribus implicare conati sunt; Spiritus autem S. Ecclesiae Christi
advocatus luce verbi divini collustravit hominis animum, for-
mavit, in illo fidem & in eam voluntatem istum adduxit, ut cre-
deret in Christum, pristinae dignitatis, vitaeque integritatis re-
stauratorem, omnesque cupiditates pravas coerceret atque re-
secaret. Advocati Ecclesiae majestatem divinam probat ca-
lamitas, quam vera Ecclesia accepit. Spiritus S. vehementer
auxit & amplificavit Societatem Christianorum, & Tyranno-
rum, qui misere perierunt, potestatem extinxit atque op-
pressit. Haereticos refutavit, ex Ecclesia ejecit, eamque san-
ctam, puram & integram conservavit. Multi Advocati sunt
malorum consiliorum autores, viris bonis & religiosis collo-
cant insidias, conantur judicem vel blanditiis, vel largitionibus
corrumpere, vel legem in suam voluntatem trahere. In ejus-
modi Advocatos malos, inutiles & Reipublicae perniciosos
animo infenso & hostili it Spiritus S. Ecclesiae Christi Advocatus,
qui est *παράκλητος καὶ πνεῦμα τῆς ἀληθείας*, Spiritus
A 3 Veri-

Veritatis. A Patre quidem missus est Spiritus S. ut Judaicae non tantum Ecclesiae, quam futura Christi morte fundatam conservavit, verum Christianae quoque Ecclesiae, ex Judaeis & Gentilibus constantis, esset Advocatus. Spiritus autem Veritatis non est dictus, quia Spiritus S. in novo Testamento rem ipsam, umbris veteris Testamenti oppositam, ostendit & exhibet, ut opinatus est *Origines* u) in omnem dicens, *deducit vos veritatem earum rerum, in quarum figuris versantes, putabatis vos vere cultu DEVM colere, Originem sequuti sunt Leontius, Theophylactus & alii.* Nam Spiritus S. totius Ecclesiae Advocatus, non corporis, quod Paulus V. T. umbris opposuit, Spiritus appellatur. Spiritum S. illo, quem nactus est, titulo a Spiritibus finitis, quibus dignitate Naturae ita excellit, ut isti, cum Spiritu S. comparati, spiritus veros vocari, vix mereantur, distingui existimavit *Euthymius*, Spiritus autem finiti nullam mentionem facit Christus, qui Spiritum S. appellavit Spiritum veritatis. *Maldonatus* laudat Interpretes, qui putant, Spiritum S. veritatis Spiritum vocari, quia & res est constans, & in suo officio permanebit Paracletus. Christus enim Paracletum perpetuum promisit Ecclesiae dicens: Rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat cum vobis in aeternum. *Filius*, ait *Justinus Mar-*

u) Lib. 2.
contra Cel-
sum p. 58.

x) In Expo-
sit. Fidei de-
recta Confess.
p. 296.

y) Lib. 10.
Comment. in
Jo. c. 33.

tyr x) Spiritum Veritatis uocat, cum ipse sit veritas, & haec sententia perplacuit *Cyrillo Alexandrino.* y) Spiritum Veritatis, inquit, id est suum (ipse enim veritas est) Paracletum appellavit. Christus vero, Spiritum S. a Patre & Filio procedere, hoc argumento demonstravit: *Pater mittet Spiritum S. in nomine meo.* Planius uerba Christi explicant Interpretes, qui sentiunt Spiritum S. Spiritum veritatis vocari, quia & veritatis Doctor atque autor est. Christus ipse, optimus verborum suorum interpres ait: *Vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quaecumque dixi vobis.* Hoc Spiritus S. opere, Patri quoque & Filio conveniente, Divinitatem Advocati nostri demonstravit *Basiliius M. I.* cit. *Quemadmodum, ait, dividere operationes in eos, qui digni sunt susceptione operationum, Pater dicitur, & dividere ministraciones Filius in dignitatibus ministrii;*

rii;

rii: sic & Spiritus S. dividere gratias in eos, qui ad suscipiendum illas digni sunt, Jo. 14. probatur. Divisiones enim gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus. Et divisiones operationum sunt, & idem est Deus, qui operatur omnia in omnibus &c. Advocatum esse deprecatorem, inficiatus est Camero. Christus autem & advocatus est & deprecator, & advocatos saepe supplices ad iudicem venire, probat Augustinus, 2) Qui habent causam, inquit, & volunt supplicare Imperatori, quaerunt aliquem Scholasticum Juris peritum, a quo sibi preces componantur. De Spiritu S. dicit Paulus: a) αὐτὸ τὸ πνεῦμα ὑπερευχαίνεται ὑπὲρ ἡμῶν στεναγμοῖς ἀλαλήτοις. Interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Paulus τὸ πνεῦμα, dicens ὑπερευχαίνει non loquitur de nostro Spiritu, seu anima, ut Zwinglius & Bucerus statuerunt. Interpellat enim, inquit, pro nobis hominibus, ex anima & corpore constantibus, a quibus Spiritum, verae orationis autorem, magno discrimine separat. Bene Wittichius, b) ὑπερευχαίνειν est advocatorum, qui Clientibus suis libellos supplices dicunt, & nomine eorum concipiunt ac conscribunt, sed verbum illud, quo utitur Paulus, ducitur in controversiam, & Interpretum variant sententiae, quos copiose & graviter exponit Calovius. c) Quidam enim sentiunt, Spiritum S. formare nostras preces, quibus summum flectitur Numen, & salus nostra impetratur; reliqui vero putant, Spiritum S. vere orare, Deumque d) precari, ut nobis in precibus occurrat, & contra vim Satanae, peccati & mundi, opem & auxilium ferat, & omnibus calamitatibus liberet. Solus Filius qui hominum peccata solus suo supplicio & obedientia expiavit, flectit Deum iratum precibus, suo merito innixis, Spiritus S. autem id agit, quod non indignum est Persona divina, quod decet Paracletum, & nostrae justitiae, integritatis, vitaeque sanctimoniae Autori convenit. Quod superest, Vos, CIVES ACADEMIAE nostrae Optimi, & Commilitones dilectissimi, adhortor ad pietatem erga Advocatum verae Ecclesiae, Spiritum S. tertiam Trinitatis Personam, cujus gratia excussa aeternum pereunt homines. Omnis quidem Regio, quae operatur superstitionibus Pontificiorum, colit & veneratur

2) T. 7. Jo. 2, 1. 7. in Jo.

a) Rom. 8, 26.

b) in Comment. p. 362.

c) in Bibl. Illustr.

d) Zach. 12, 10. 1. Cor. 12, 3.

ratur

e) l. 5. Haeres.
c. 16.
f) T. 9.
p. 1124.

ratur vel Patronum vel Patronam, colit autem homines, & fiduciam suam collocat in ligna & lapides, & exempla imitatur Gentilium. A pio quidem cultu vos abducere conatur *Arianus*, qui cum *Maximino* Divinitatem Spiritus S. hoc argumento oppugnare audet: *Tam miserabilis Spiritus S. est, ut gemat?* Scrupulum, quem vestris animis injicit haereticus, eximit hoc orthodoxorum *Patrum* responsum: *Nos miserabilem non dicimus, si quidem ex ipsa lectione gloria Spiritus S. ostenditur, quia non pro se gemit, sed pro dilectione, quia pro Sanctis. Inspirat nobis desiderium sanctum, gemere nos facit.* In errorem quoque vos inducere conantur *Pontificii*, qui Ecclesiam Christi Mariam Virginem, Advocatam coluisse, auctoritate *Irenaei* e) demonstrari existimant. *Irenaeus* autem non *Mariae Virginem*, sed *Mariae Filium* salutis nostrae causam nuncupavit. *Quis est*, ait bene *Augustinus* f) *qui haec operatus est, nisi virginis Filius & Virginum Sponsus.* Id quoque agite, *Cives Optimi*, quod Spiritui S. Advocato nostrae Ecclesiae gratum est atque acceptum, tene te morem institutumque Majorum, accedite nobiscum ad aram frequentes, & oblato sacro denario gratitudinem vestram declarate, & nostrae Ecclesiae Advocatus benevolentia vos complectetur. P.P. in Festo Pentecostali A. 1725.

V I T E M B E R G A E
L I T E R I S S C H R O E D E R I A N I S .

Coll. diss. A. 259, misc. 67

Co
25